

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

Aliquid mali propter vicinum malum. Emblema CLXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Aliquid mali propter vicinum malum.  
EMBLEMA CLXVI.



**R**APTABAT torrens ollas, quarum una metallo,  
 Altera erat figuli terrea facta manu.  
 Hanc igitur rogat illa, velit sibi proxima ferri,  
 Iuncta ut praecepites utraque stet aquas.  
 Cui lutea: Haud nobis tua sunt commercia cura,  
 Ne mihi proximitas haec mala multa ferat.  
 Nam seu te nobis, seu nos tibi conferat unda,  
 Ipsa ego te fragilis sospite sola terar.

COMMENTARI I.

- I. **O**LLÆ duæ à flumine rapido abreptæ feruntur, quarum altera terrea & figlina opera cōpacta præcedit; subsequitur altera ahenea. Titulus Emblematis sumptus est ex Plauti Mercatore, ait enim ibi Lyfimachus:
- Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus:  
 Aliquid mali esse propter vicinum malum.  
 APOLOGVS de duabus ollis Æsopo ascribitur, qui videtur ex Ecclesiastici cap. 13. expressus, cum ait Sapiens: Pōdit super

II.

super se tollet, qui honestiori communicat. Et ditiori te ne focus fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, cōstringetur. Diues iniuste egit & fremet: pauper autem læsus tacebit. Fabellam sic redditam à Faerno huc adscribam, quòd videatur admodum lepida:

Apologus  
de dua-  
bus ollis.

*Duas traxerat amnis ollas, aneam  
Vnam, alteram autem fictilem.  
Sed athena proprio pręgrauata pondere,  
Sibiq; porro precauens,  
Suadere cepit antecessit fictili,  
Coniungi vti vellet sibi,  
Quòd rapidi aquarum sustinerent impetũ  
Iunctis utriq; viribus.  
Cui fictilis: Tua mihi, ait, vicinitas  
Non admodum placet, soror.  
Nam siue te mihi vnda, siue me tibi  
Propè adnatantem illi ferit,  
Ve sospitem te dura præstabit cutis,  
Fragilem meam sic conteret.  
Sic, Potentiorum semper est vicinitas  
Vitanda tenuioribus.*

III.

Torrens.

*RAPTABAT torrens ollas* torrente in rapido duæ ollæ natabant, altera è metallo, & altera terrea. Torrens dicitur fluuius, qui non de fonte, neq; de viua aqua, sed à pluuijs, vel de mōtib; in valles descendit, æstate autem siccatur, aquis verò hyemalibus inundatur & currit.

*Quarum vna metallo.*] Duplex hominum fors & conditio, diuitum nempè & pauperum, totidem expressa symbolis. Quo ferè pertinet illud Ausonii:

*Fercala gematis cū poneret horrida vasis,  
Et miseret opes, pauperiemq; simul.*

*Alteræ erat figuli &c.*] id est, erat fictilis; *πρόπορις*. Ceterum hac ficta descriptione rapidus torrens representat humanæ vitæ conditionem torrentis instar fluxam, & celeri momēto euanescentem. Et enim more fluentis aquæ labuntur tempora, vt cecinit Ouidius. Olla aenea diuites opum congerie onustos & graues: terrea verò pauperes significat, eos quidem facile in his vitæ huius turbulentis fluctibus enatantes, & pericula grauiora effluentes.

*Hanc igitur terream, luteam.*

*Rogat illa*] nempè è metallo facta.

*Iuncta vt precipites*] vt coniuncta facilius impetum aquarum sistant.

*Sunt commercia cura*] tua consuetudo

& vsus. Metaphora à mercibus. Est enim propriè commercium libera conuincendi contrahendiq; facultas, ab ijs, qui merces vtrò citroq; conuehunt, appellata.

Commer-  
cium.

INSIGNIS est apologus, quo admonemur cum potentioribus aut improbis non esse in eundem societatem: quia si quid infortunij damnivè acciderit, in infirmiorē semper reclinari solet. Duo ergo hic se nobis offerunt Iuris prouerbia, quæ huc pertinent. Primum est, *Potentioribus pares esse nō possumus*. l. 3. de alien. iudic. mut. caut. facta, l. nam magistratus, de arbit. Extat hac de re præstantissima elegia Ouidii lib. 3. Trist. eleg. 4. cuius hæc aliquot sunt carmina:

*Vsibus edocto si quidquam credis amico,  
Vive tibi, & longe nomina magna fuge.  
Vive tibi, quāvisq; potes prælustria vitæ:  
Suum prælustri fulmen ab arce venit.  
Nam quāquā soli possunt prodesse potentes,  
Nō prosunt, potius plurimū obesse solent.  
Reliqua vide ibi. Idem quoq; alibi:  
Vive sine inuidia, mollosq; inglorius annos  
Exige, amicitias & tibi iunge pares.  
Credde mihi, bene qui latuit, bene vixit, &  
intra.*

*Fortunam debet quisq; manere suam.*  
Apud Plautum pauper Euclio recusat afluatam cum diuite Megadore cōtrahere, his verbis:

*Venit hoc in mentem mihi, Megadore, te  
esse hominem diuitem,  
Factiosum, me item esse hominem pauperum  
pauperimum.  
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem  
venit,  
Te bonum esse, & me esse asellum: vbi tecum  
coniunctus sum,  
Vbi onus nequam ferre pariter, iaceam ego  
asinus in luto,  
Tu me bos magis haud respicias, natus  
quasi numquam sum,  
Et te vt ar iniquiore, & me meus ordo ir-  
rideat.  
Neutrubi habeā stabile stabulum, si quid  
diuortij fuit:  
Asini me mordicus scindant, boues incur-  
sent cornibus.  
Hoc magnum est periculum, ab asinis ad  
boues transcendere.*

Alterum Iuris prouerbiū est, *Interest non vicini bonum habere vicinum*. l. quod sæpe, §. fin. ff. de contrah. empr. Pindarus Nem. elid. ditas.

IV.

Cum quæ  
bus nō sit  
incunda  
societas.

Potentio-  
rum fa-  
miliari-  
tas vitam  
da.

Torrens  
quid.

Olla a-  
nea qd.  
Olla ter-  
rea.

ειδ. docet utilitatem maximam adferre vicinum, si sit idem & amicus: contra, si sit inimicus & malus, damnum iacturamque. Quod bellè expressit Hesiodus:

πῆμα κακὸς γείτων, ὅσοιτ' ἀγαθὸς  
μὲν ὄνειδος.  
ἔδ' ἂν βῶς ἀπέλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς  
ἔσθι.

Detrimentum [est] malus vicinus, quantum bonus est magnum commodum: Neque bos perierit, nisi vicinus malus adsit.

Noxa, malus vicinus, ut est bonus utilis: imò

Nunquam bos pereat, vicinus nisi improbus adsit.

Demosthenes adversus Calliclem de praedio, nihil molestius esse dicit, quam incidere in vicinum avarum & improbum. τὸ χαλεπώτερον ἐστὶν ἢ γείτων ἢ πονηρὸν καὶ πλεονεκτητικόν. Magnates enim locupletiores vicinis pauperibus nunquam cessant, quippe qui eos non desinant exsurgere, dum ad nihilum redegerint; naturam cardami referentes, qui herbarum in propinquo nascetium humorem atrahit, unde illas arere postea sit necesse. Quo etiam illud Virgilianum spectat:

Cardamus noxius vicinis herbis.

Mantua va misera nimium vicina Cremona.

quo deplorat Mantuanorum infelicitatem, quibus obfuit sola Cremonensium vicinitas, ait S. raius. idem evenit Chalcedonijs & Byzantinis, itemque Aetolis & Acarnanibus, qui finitimi mutuis armis & dissensionibus sese confecerunt. Itaque apud nostros vulgò circumfertur, Et optimè cedere, qui bonum vicinū habeat. Cato senior (quod etiam alibi adduximus) eos, qui praedia empturi essent, admonere, ut praeter ceteris adverterent ne malum haberet vicinum. Celebratur & Themistoclis apophthegma. Cum quis enim praedium venale haberet, iussit praeconem adijcere, ὅτι καὶ ἀγαθὸς ἔχει γείτονας, quasi lōgè vendibilis esset vicini commendatione. Bona itaque vicinitas optanda quidem, non speranda semper, nisi ei forte, cui per-

missa est electio praedij vel domicilij, nec enim parū interest nostra quibuscū hominibus, aut apud quos vivamus. Ut de ceteris sileam, ad quid illud iactatum: Grecis, ἴδὼν φραγλὸν φίλῶν ἔσχε, γείτονας δ' ἔβη. Francum pro amico habe, at non vicinum. Nempe quia Graeci Romaniq; suspectam haberēt Francorum veterum potentiam, cum vix pares esse putarent. Hoc natura, vel hominum potius depravatus moribus comparatum, ut nulla sint rixae acerbiores, nulla odia implacabiliora, quam quae inter vicinos, ac contribules agitantur: vel quia vicinus potentior inferiorum subens se habere velit, quin nullas non strophas comminiscitur, quibus quietum vicinum deglutiat. Non sunt nobis repetenda Romanorum & Graecorum historiae, cum quidem vel domesticae, ac nostra gentis suppetant, ex quibus accipimus quam fore, ac nequiter de vicinis, à quibus nihil metuendum erat, triumphatum est. Sed Emblematis huius character videretur specialiter trahi ad eos, qui foedus exhorrent potentiorum principum; quo animo si fuisse rex Portugalliae Sebastianus (qui Sebastianaus Portugalliae infansitam & impiam cum Mahometano societatem ad suum, suorumque exitium non lōgè antè contraxit) feliciter vixisset. Rex. Memoratu dignus, sed infans, & exemplaris casus, ut ita dixerim, Conatus S. Pauli, principis militiae Gallicanae sub Lodovico XI. Comes res novas molitus adversus principem suū, colludebat cum rege Anglo, & duce Burgundo, neque triste suū fatum praesentificabat. Tandem enim foedere inito inter viros principes, & sospitis discordiis, Comes ille, ut Suffenus alter, suae proditoris poenas dedit. Faci. e mihi esset recolare quaedam nostri aui funesta exempla, sed vereor ne ea narratio bilem quibusdam moueat, qui suorum infortuna, quasi plagas vix dū bene sanatas refricari non patiūtur. Vide in Chahadibus malum. ubi multa praecleara de malo vicino ex Hesiodo & alijs reperies.

Comes S. Pauli.

